



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 10. Concilium Romanum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI. fratribus expectabatur, nempe Grottam
A.C. 1002. ferratam, deferunt. Utraque monacho-
 rum caterva sibi in via occurrente auctus
 est dolor. Gregorius quoque Comes mœ-
 rens, & regionis illius confluentes inco-
 læ pompam funebrem claudebant. Ex-
 inde tota illa Congregatio Abbasque
 Paulus apud S. Nili tumultum sedem fi-
 xerunt, manibus suis laborantes, & non
 sine sudore pane suo vescentes, quia ille
 locus alimenta nulla præbebat. Brevi
 tamen temporis spatio celebre Monaste-
 rium ibi conditum. Ecclesia S. Nili me-
 moriam ipsa obitus die colit, vitam ve-
 ro ejus aliquis Discipulorum græco ser-
 mone & bona fide scripsit.

Mart. Rom.
26. Sept.

§. X.

Concilium Romanum.

tom. 9. Conc.
p. 1246.

Sub finem anni millesimi secundi, nem-
 pe tertia Decembris, Indictione pri-
 ma, cum Silvester II. Papa Romæ Syno-
 dum in Palatio Lateranensi convocasset,
 Petrus Scriniarius dixit: *Domine Papa!*
hic Abbas tuus S. Petri prope Perusium
queritur, quod Conon, Episcopus Perusi-
nus ipsum armata suorum satellitum manu
sub Altare monasterii tui confugientem
abstrahi, atque ex Ecclesia & domo expelli,
omniaque ad monachorum usus ibi servata
diripi jusserit. Conon Episcopus respon-
dit: Facile demonstrare possum, nec mea
volun-

voluntate, nec præcepto hæc facta esse. Sed *Sæculum XI.*
 tu, Sanctissime (*) Pater! mibi Ecclesiam *A. C. 1002.*
 Perusinam commisisti, & ad jurandum compulisti, nunquam me consensurum, ut illius juribus quidquam detraberetur. Nunc vero Monasterium istud ad meam Ecclesiam pertinet, & si res secundum Canones discuteretur, nullum jus vestro Apostolatu competeret. Econtra Papa affirmavit, se illud Monasterium in Dominio Ecclesiæ suæ invenisse, jussitque privilegia Paparum perlegi. Reposuit Episcopus Perusinus, prius ex illis datum privilegium fuisse sine consensu Antecessoris sui. Sed totus Clerus Ecclesiæ Romanæ ait, se epistolam Antecessoris ejus vidisse, qua non modo consensisset, sed etiam ut id fieret obnixè postulasset. His auditis Episcopus secundum sententiam Concilii, juri in Monasterium S. Petri renunciavit, illud Papæ reddidit, & osculum pacis Abbatib. tribuit.

Hic Abbas ad S. Petrum Perusii, & ipse Petrus dictus, hoc Monasterium, *Mabill. Sæc. 6. p. 70.* consentiente Honesto Episcopo in Ecclesia, quæ in exordiis Cathedralis erat, primus instituerat. Obiit anno millesimo septimo, decima Julii, exinde Sanctis adscriptus.

C 2

§. XI.

(*) In ipsis Actis legitur: *Omnium Pontificum Pater!*